



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Quid, & quotuplex, & ad quos transeat Locatio, & quibus pereat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**




## EXAMEN IX.

De Iustitia & iure, circa materiam quartam de contractibus onerosis, nempe de locatione, & conductione.

## CAPVT PRIMVM.

*Quid, quotuplex, & ad quos transeat Locatio, ac quibus pereat.*

1.  *Vid est Locatio?* Contractus, quo res, vel persona aliqua ad vsum, vel fructum conceditur pro pretio. Conductio, quo recipitur, eodem modo definitur.
2. *Quotuplex Locatio?* Multiplex quidem tum ex re locata, tum ex vsum, tum ex tempore.
3. *Quinam possunt locare?* Qui possunt vendere. Prohibentur milites, curiales, Ecclesiastici. Conducunt autem omnes non prohibiti. Conductor sublocare potest etiam inuitis cohabitantibus.
4. *Quanam locantur res?* Quæ vendi possunt; conducuntur non possunt propriæ res; sed bona dotalia possunt conducuntur, non autem vendi. Vsu consumptibilia non locantur, nisi fortè ad pompam. Res aliena sublocari potest, & locari si bona fide putetur tua.
5. *Quenam sunt ad locationem substantialia?* Tria quidem, Consensus, Res, & Pretium. Cùm plures communem rem habent, omnium consensus requiritur. Iusta profectò merces desumitur ex conuentione, consuetudine aliarum locationum, & Prouinciæ, & arbitrio boni viri: idem de tempore eam soluendi.
6. *Indica mihi ad quos transeat obligatio locationis iam facta?* Hæres tenetur ei, nisi facta esset ad beneplacitum locantis. Non tenetur emptor, aut alius particularis successor, nisi locator cederet in particularem successorem ius, & actionem. Fiscus non tenetur, si determinata bona sint confiscata, secus si omnia, aut aliqua pars. Vxor locationi factæ à viro, postquam vidua facta est minimè tenetur. Vir tenetur locationi rerum dotalium, si sciebat eas esse locatas. Non tenetur

netur succedens in maioratus bonis. Nec Beneficiarius de redditibus, secus de bonis si debira seruata est solemnitas.

7. *Quandónam res locata perit domino, quandónam autem conductori?* Perit quidem domino, si casu fortuito pereat, nec conductor tenetur. Cessante autem periculo ex bello, peste, aut alia re, habitandi domum, tenetur conductor continuare. Si verò conductor non vtatur operis conductis ob impedimentum sibi superueniens, tenetur ad pensionem integrè soluendam. Si res verò locata locantis culpa perit, hic tenebitur ad omnia damna. Locans operans & non laborans, tenetur reddere stipendium. Ex culpa autem lata, & leui obligatur. Conductor verò non tenetur de leuissima, nec de casu fortuito, nisi pactum de illo esset.

CAPVT II.

*De mutuis locatoris, & conductoris obligationibus.*

8. *Quandónam locatoris, pensio soluenda?* In fine anni de iure communi, nisi aliter conuentum esset, aut ferret consuetudo. Pro ea autem censentur obligati fructus separati in prædio, & res in prædium inductæ animo, vt ibi sint; quandiu durauerit conductio: si extrahantur, etiam tacitè hypothecata censentur.

9. *Quid de pensione in sterilitate?* Si conductor nihil colligat remittenda pensio est, seclusa alia conuentione. Si magna sterilitas, aliquid remittendum, non si modica. *Magna autem quandónam censetur?* Cum detracto semine, & expensis, non superest quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni. *Augenda ne, si ex ra r. inaria vbertas?* Ita equidem, nisi ex proprio statuto aliud haberetur.

10. *Potest ne conductor expelli tempore locationis finito?* Potest. Censetur verò terminus prorogatus, si sciente locatore conductor in locatione perseueret. *Potest ne expelli ante tempus?* In nonnullis casibus potest. v. gr. si pensionem non soluat; si causa superueniat locatori ob quam res locata necessaria sit; si egeat necessaria refectione, si conductor re locata abutatur.

11. *A quónam facienda rei locata expensa necessaria?* A locatore. Quod si fecerit conductor, potest illas in soluenda pensione compensare.

12. *Quót nam verò sunt locatoris obligationes?* Quinque. r.

Dd 4

Vt